



Xc 42



4

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA
DE
MORBIS
PEREGRINANTIVM.

Q V A M
AVSPICE SVMMO NVMINE

PRAESIDE
DN. FRIDERICO HOFFMANNO
ACADEMIAE AC ORDINIS MEDICI SENIORE
PRO GRADU DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
LEGITIME CAPESSENDIS
D. *M A I I M D C C X X X I V .*

PVBLYCO ET PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBIIICIT

A V C T O R
IOANNES WALLASKAY,
NEOGRAD-PESTENSIS PANNONVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,
EX OFFICINA HENDELIANA.

DISSERTATIO INVAICVALLIS MEDICA

DE

MORBIS

PERIEGRINANTIVM.

AVCTOR

FRIDERICVS HOFFMANNVS

PRÆSIDI

DN. FRIDERICI HOFFMANNI

ACADEMIAE AC ORDINIS MEDICI SENIORIS

PRO GRADU DOCTORIS

SAMPTIMÈ IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS

DOCTUS CENSURIS

ANNO MDCCCLXXIV

HAEC ET LEGIBVS EXAMINATA VARIIS

AVCTOR

IOANNES WALLASKEY.

PROFESSOR PRAELECTOR



HAEC MÜNCHENBVRGICAE

EX OFFICINA HENDELIANAE



ILLVSTRISSIMIS
SPECTABILIBVS ET MAGNIFICIS
DOMINIS DOMINIS
COMITIBVS
EX
BETHLENIORVM
GENTE ET PROSAPIA
VT VETVSTISSIMA ITA SPLENDIDISSIMA
MVLTORVM INSVPER HEROVM
IN SAGO ET TOGA

MATRE FOECVNDISSIMA
ORTVM TRAHENTIBVS,
PATERNARVM VIRTVTVM EX ASSE HAEREDIBVS,
PROINDE
FAMAM, GLORIAM ET SPLENDOREM
MAIORVM SVORVM
NON NISI CVM SAECVLO INTERMORITVRAM
PARI VIRTVTVM ET MERITORVM
STVDIO
EGREGIE SVSTINENTIBVS,
LAVDABILITER CONTINVANTIBVS.

NEC

NEC NON
REVERENDISSIMIS
VENERABILIBVS, SPECTABILIBVS AC MA-
GNIFICIS, GENEROSIS, PRVDENTIBVS AC CIRCVMSPECTIS
DOMINIS DOMINIS

ORDINIBVS
ET
STATIBVS
COMITATVS PESTENSIS
DIGNISSIMIS,

VI ET
PRAENOBILI AC GENEROSO
DOMINO DOMINO
IACOBO WALLASKAY,
PATRVO SVO AESTVMATISSIMO

HOC QVALICVNQVE
GRATISSIMI ANIMI SIGNO
MAXIMORVM IN SE COLLATORVM BENEFICIORVM
MEMORIAM RECOLIT,
PVBLICE TESTATAM FACIT,
NEC NON VLTIORI GRATIAE SESE COMMENDAT,
VITAE VTRIVSQVE FELICITATEM PRECATVS
DEVOTVS IN TANTOS PATRONOS

A V C T O R.



PRAEFATIO.



Veteres, valetudini hominum consuluri, eos distinguebant in tales qui vitam certis legibus, & per has aliorum arbitrio subiectam ducunt, & tales, qui nullis certis legibus obligantur: quorum illos non suae spontis, hos vero homines suae spontis nuncupaverunt. Ita enim non solum HIPPOCRATES, aut, quod GALENO placet, POLYBUS, qui libellum de salubri diaeta nobis exaravit, in illo se praecepta tuendae valetudinis *τῶν ἰδίων* scribere diserte profiteretur; verum etiam CORN. CELSVS idem exemplum sequutus, in ipso limine suorum de Medicina librorum innuit, se scribere homini qui suae spontis est. Quis sit homo suae spontis GALENVS in commentario suo exponit, ostendendo nobis aliquot vitarum genera, quibus adstricti, non possunt accenseri illis, qui suae spontis sunt. Sic Athletico instituto dediti,

A 2

quam

quam nulla in re suo arbitrio vivere potuerint, vel ex
 EPICURETO disci potest, qui, postquam candidatum
 coronae olympicae longis praemonuisset, dicit: *ad
 summam, tanquam medico, sic Gymnasiarcha te tradas o-
 porret.* Eodem pertinent milites, qui ad orci paten-
 tes fauces a Duce collocati, stationem fortiter tueri,
 aut honeste oppetere debent. Huius certe generis
 hominibus, ut & quibusdam Religiosis parum pro-
 sunt praecepta tuendae valerudinis, quippe quibus
 per omnia obsequi non licet ob ipsas illas leges, qui-
 bus illos vitae genus adstrinxit.

Cum igitur difficile sit quicquam de sanitate
 conservanda & morbis avertendis scribere, cui
 obsequium ex aequo omnes praestare possint; nec
 meum institutum iustam reprehensionem merebi-
 tur, spero, si praecipuos PEREGRINANTI-
 VM MORBOS cum suis causis consideravero,
 ut caveri possint; sique initia morborum iam persen-
 tificentibus, ut effugere maius periculum debeant,
 ostendero, iamque in discrimine constitutis, viam
 exitium devitandi recuperandaeque valetudinis, in-
 dicavero. Id certe est, quod mihi praefixi, atque uti-
 nam summus Archiater successus voto ac desiderio
 pares indulgeat. Dum autem optime cognitum ha-
 beam omnes peregrinantes iis esse accensendos, qui
 multis circumstantiis adstricti sunt, ut non possint o-
 mnia ad votum ita habere comparata, ne unquam
 servire tempori & praesenti necessitati cogantur;
 meae meditationi illos potissimum praefigere volui,
 qui & libera voluntate peregrinationes susceperunt,
 & tantum iuris in se habent, iisque opibus instructi
 sunt,

sunt, ut manifestum periculum minitantiã evita-
re, seque contra plurimas molestias prae munire,
aliquando etiam itineris laboribus iusta interquie-
scendi tempora interponere, & reficiendo corpori
valerudinique resarciendae indulgere possint. Ta-
les dum animo praecipue praefixos intueor, ipfis-
que consilia destino, nihil peccasse me existimo, si
in ostendendis periculis & noxis rectae valetudinis,
aliquando exempla hominum magis necessitati &
coactis itineribus adstrictorum adduxero: praeser-
tim cum sciam eos, quantum ab itineris incommo-
dis laesi sunt, pertinere sane inter exempla mor-
borum qui peregrinantibus accidunt.

Si vero a consiliis nostris, quibus obsequi non
licet, minus iuvantur, id imputandum est illis,
quae ipsos circumstant, vitae rationibus, quae ab
arte nec emendari nec tolli possunt. Varietate ex-
emplorum lectoris taedio mederi cupivimus; un-
de studiose conquisivimus, quotquot ex lectis quo-
rundam veterum historicorum monumentis, & me-
dicorum, quos quotidie terimus, observationibus, oc-
currerunt. Sed potiora ex privatis pariter ac publi-
cis praelectionibus *Excell. HENR. SCHVLZE Fautoris
ac Praeceptoris nostri gratiosissimi* collegimus: quaedam
etiam, quae mihi aliquantulum iam peregrinato vi-
dere aut experiri licuit, intermiscui, tunc praeser-
tim, quando ex historiis non suppetebant talia. Le-
ctorem benevolum rogo, velit nostris conatibus fa-
vere, & quod viribus decedere intelliget, favore ac
benevolentia sua supplere.

§. I.

Peregrinantes qui.

Peregrinantes non uno modo vocantur in veterum monumentis. Sunt enim olim Romae peregrini omnes dicti, qui cives non erant, quamvis in illa urbe per complures annos negotiorum aut quaestus causa remanebant: atque de talibus etiam dici poterat quod Romae peregrinentur. Deinde vero non raro sumuntur pro iis, qui terras, & regiones peragunt visendi eas desiderio aut negotiorum quorundam causa: & sic de VLYSSE aut DEMOCRITO philosopho rectissime dicitur, quod longe lateque sint peregrinati. Medio aevo peregrinos hos maxime dicebant, qui religionis causa Romam, vel alia ob sanctos celebritatem nata loca adibant. In vocabulario vetere, quod a MART. MARTINIO adducitur: peregrini omnes, qui a loco domicilii sui proficiscuntur, proprie autem dicuntur Romipetae Apostolorum & aliorum sanctorum. Nos ut paucis nos expediamus, peregrinantes illos intelligimus, qui quamcunque ob causam domo proficiscuntur & alias urbes atque regiones peragunt.

§. II.

Morbus quid, & qui morbi hic praevalentur.

Quid morbus sit, explicari hoc quidem loco non est opus. Sufficit paucis dixisse, id omne nos intellectum velle, quod rectam valetudinem quoviscunque modo infestat, hominemque eo deducit, ut actiones sibi debitas non possit solita facilitate & alacritate peragere. Quin nec omnino negligemus eiusmodi labes, quae actionibus quidem non magnopere officiant, habitui autem externo qualitatem inimicam, ut in scholis loquimur, afficiant, aut excretiones certas, eas vel intendendo vel depravando laedunt. Neque tamen eosdem morbos amplius ad nos

nos spectare credemus, nisi quatenus a causa quadam inter peregrinandum oblata vel inducuntur, vel si iam antea illius initia inhaeserunt, exacerbantur. Ex ipsius autem causae potissimum vel evitacione vel correctione aut ablatione medendi rationes ostendere adnitemur, pauca ubi opus est subiectari remedia, eaque fere tantum enumerata, quibus principiis occurri possit, ne in nervum omnemque ferociam suam errumpant. Nam plenissimam tractationem totius therapiae, quae singulis debetur, non dissertationem brevem capere, sed amplum volumen deposcere facile intelligitur.

§. III.

Fiunt autem peregrinantibus morborum causae res *Causae morborum peregrinantium.* omnes, quae etiam aliis fieri possunt: praecipue tamen illae, quas *non naturalium* nomine ab antiquo designavit schola medica. Nulla fere harum est, circa quam non creberrimae mutationes & vicissitudines obueniant itinera facientibus, quod CELSVS noster intelligit *rerum novarum* nomine. Atque hinc merito adducimus grauisissimi huius viri consilia aliquot, quae Libr. I. Cap. 3. proposuit: *Quum quis mutare aliquid volet, paulatim debebit adsuescere: neque ex nimio labore subitum orium, neque ex nimio otio subitus labor sine gravi noxa est. Neque ex salubri loco in gravem, neque ex gravi in salubrem transitus satis rarus est.* Ex quo discimus solum mutationem subitam efficere posse, ut quis morbis inter peregrinandum subiiciatur, etiamsi in pluribus rerum illarum, quibus se exponit, nullum sit conspicuum insigne & proprium vitium. Quanto autem magis opportuna morbis corpora peregrinantium reddentur, quum praeter insuetum etiam vere insalubria aut excessiva multa obven-

venerint? Sed hoc pertinet eo, ut tanto diligentius valedudini conseruandae intenti simus. Nunc ordine percurremus res sic dictas *non naturales*, visuri quae a singulis peregrinanti homini enasci possint morborum causae. Sic igitur

CAPVT I.
DE MORBIS AB AERE.

§. I.

*Aer quot
modis agat
in corpus hu-
manum.*

Aer fluidum illud catholicum mobilissimum ac penetrantissimum, quod non solum corpora nostra ambit, verum etiam in illa intimius per inspirationem admittitur, ut & cum cibus & potulentis eadem subit, eadem valde ac praesentissime laedere, quin exstinguere valet, quando intemperatus est, & vel *frigore* vel *calore excessivo* pollet, aut *impurus* existit, & multis heterogeneis ac mixtioni nostrae inimicis refertus.

§. II.

*morbi a fri-
gore.*

Non adeo rarum in nostris terris est hyeme praeter modum saeva aliquos iter noctu facientes exstinguit; sed in regionibus magis frigidis admodum saepe ferilegimus, ut homines trahis super nive vecti ab animalibus viae gnaris & ad nota hospitia sponte currentibus, mortui deferantur. Aliis partes extremae & exstantes, ut manus, pedes, nasus, auriculae *sphaelo* omnino corruptae, decidunt: quibusdam *phlyctenae*, *pernio*nesque oriuntur: non paucis membra ita debilitantur, ut vix unquam ad pristinum vigorem possint reduci. Quin ipsa *ossa* *ram rigida redduntur*, ut facillime possint confringi, testante id experientia, quod nullo anni tempore plures fracturae obtingant, quam quando gelu est intensissimum.

§. III.

§. III.

Si causam tam gravium nozarum consideremus, *Effectus frigiditatis in corpore humano.* physicae scientiae doctores non unum eundemque modum indicant, quo in nos agat frigus. Alii nihil nisi caloris aut ignis absentiam, adeoque meram privationem volunt, scilicet caloris: alii materiam frigorificam aliquam supponunt, quae in corpus penetret undique a superficie motu rectilineari, eaque rigida magis redat. Meum non est hoc loco agere physicum; sufficiat nunc verbis *Illustris Praeceptoris Fautoris ac Patroni mei colendissimi FRIDER. HOFFMANNI Med. rat. syst. Tom. I. p. 338.* effectus frigoris in corpus humanum tradere: *humores spissat, condensat, poros & capira tubulorum constringit, & humores ab ambitu corporis retro ad interiora urget: unde fevi haud aliter potest, quam ut sanitatem multis iisque gravioribus malet incommodis.*

§. IV.

Docuit autem experientia peregrinantes complura *Quae docuit circa frigiditatis damna.* circa frigiditatis damna: quae recensere iuvat. Vehementius a frigore adficiuntur, qui illud corpore quiescente & in eodem situ manente admittunt. Sic equo insidentes, ubi consistendum alicujus negotii causa est, intensius frigent, quam ubi equus cursum suum absoluit, sicque infestorem commovet. Veredis publicis insidentes longe plus afficiuntur, quam qui eodem coeli frigore pedibus viam emetiuntur. Quibus vestimenta sunt corpus arctissime cingentia & includentia, hi facilius noxas frigoris suscipiunt, quam quibus sunt laxiora & exhalanti a corpore calori divertendi spatium praebentia. Sic chirothecae ex corio arcte manum & digitos complexae frigus minime arcent: si habeas laxiores, quibus villosum

B

&

& laneum aliquid inter cutim & chirothecae corium laxè continetur, longè praestantissimas eas experieris. Sic ocreae quantumvis ex crasso corio factae pedes parum muniunt, si arctissime eos includant: adhibe laxiores, quibus etiam tibialia ex crassiori texto laneo subducas, aut foenum insuper intrudas, satis vehemens & rigidum gelu diutius sustinebis. Quin experiendo disces stapedem metallicum, cui equo insidens niteris, frigus vehementissime per duras ocrearum soleas ad plantam pedis transmittere: Si stapedem stramine obducas, longè tolerabilius iter profèqueris, longiusque durabis. Omnium vehementissimum senties frigus, si ante lucem profectus obvertaris soli exorienti: & qui tota nocte satis facile tolerauerunt frigus, tunc maxime ab illo laedi poterunt, nisi optime semet communiverint.

§. V.

*Exempla
morborum
gelu inten-
sissimo indu-
torum.*

Exempla quaedam liceat adiungere morborum gelu intensissimo inductorum. Quam multa passi sunt Graeci ad iuvandum *Cyrum minorem* profecti, docet *XENOPHON* expedit *Cyri*. *Libr. IV. Iter multo difficillimum erat. Flabat enim aduersus boreas, urens homines ac plane congelans: nix vero nibilo duobus passibus minus alta erat: quare & iumentorum & captivorum magnus numerus periit ac milites ad XXX - - relictis de nostris multi sunt, qui oculos ex perpetuo nivium adspectu amiserunt: multi item, quibus gelu pedum digiti obstupuerant: Hic unicum erat oculis praesidium, si quid ante eos nigri praetendissent: pedibus si corpus assidue mouerent, & numquam omnino quiescerent, ac si noctu calceamenta detraxissent. Nam si calceati decubuissent, tumentibus pedibus alte vincula imprimebantur, atque ita, ut calcei pedibus adstricti*
resol.

resolvi nullo modo possent. Adscripsi locum integrum quod & testimonio seruiat, & remedia edoceat. Subiiciam casum *ab Excell. SCHVLZE Praecept. ac Patrono meo aestumatissimo* in priuatis lectionibus communicatum: Nobiles aliquot iuvenes post medium Februarii, quum aliquot sereni dies fuissent, trahis impositi in proxima urbe amicos visitare volebant. Ipso diluculo proficiscebantur, quum in urbe nihil magni frigoris sentiretur, adeoque nolebant se valde sollicite munire. Sed cum medio itinere per tractum montanum versus orientem via duceret, solisque exorientis radii emicarent, tam intensum frigus cum vento non vehementissimo in illos incidebat, ut omnino obrigescerent, adeoque in proximo pago aliqui tantisper subsistere cogentur. Unus horum durior videri cupiens, iter cum socio, qui insidebat trahae, ambitiosius prosequeretur ad proximam urbem: cui, quum chirothecas manibus detraheret, ambae tanquam emortuae livebant. Nive multa eas fricabat & fovebat: sed vix sensus recuperabatur aliquis. Domum relatus vix integris duobus mensibus exactis restituebatur, exortis scilicet phlyctaeis per omnes digitos, digitorumque unguibus omnibus ablatis, satis tarde nova carne, tardius autem novis unguibus subnatis.

§. VI.

Sphaceli a frigore inducti satis fonticam & malignam *Sphacelus a indolem cognoscimus ex eo, quod AMBROS. PARAEVS frigore. refert Libro XI. Cap. 12.* Scilicet nec amputatio corruptae partis hic plerumque satisfacit, quae ultimum est in tali malo praesidium. Commemorat utique se ex compluribus, quibus frigoris vehementia necrosin pinnis narium induxerat, quatuor delegisse quibus corruptam partem

tem amputaret. Horum duo incolumes euaserunt: reliqui serpente malo interierunt. Servi etiam exemplum adducit, cui crus a gelu sphacelatum nosocomii Parisiensis Chirurgus amputauerat, nullo solido fructu: gliscente enim in supernas partes necrosi intra triduum mortuus est, cum laboriosis ructibus & singultibus, deliriis, frigido sudore & crebra syncope.

§. VII.

dolor tremorque pedum: perniones, & alia.

Meretur etiam adduci quod HENR. MVNDIVS *Oper. Med. Physic. p. 23.* commemorat in expeditione quadam hybernis mensibus in regno Scoriae suscipienda, plerisque militum pedes & manus adeo gelu contractos fuisse, ut multi aegre incedere deinceps valerent, quidam non omnino, nec arma tractare potuerint. BORELLVS *Cent. I. obs. 84.* memorat aliquem, qui a frigore nimio in *dolorem tremoremque pedum maximum* inciderat, tunc praecipue furentem, quum ad ignem propius accederet: aliique plures auctores debilitatem partibus nimis olim refrigeratis, cum doloribus quasi rheumaticis, tandem in veram arthritidem transeuntibus, enatam commemorant. Mitissimus omnium euentus sunt *perniones*, tumores hiberno tempore rubentes, saepe atro-rubri & ad aeris quamcunq; mutationem valde prurientes, saepe ad exulcerationem, eamque satis aliquando gravem & difficilem prodeuntes.

§. VIII.

a frigore levis quid agendum.

Videbimus nunc, (ne his diutius immorando reliquis locum praeripiamus) quid ad salutem suaderi debeat homini a frigore laeso & ambusto. Ante omnia caueatur subitus a summo gelu ad postium calorem transitus. Nihil hoc periculosius esse adfirmant omnes in illis regionibus

nibus versati, ubi tales laesiones frequentissime obveniunt. Membrum, quod stupet, aquae frigidae immergatur ac nive fricetur tamdiu, donec frigus percipiatur. Secus si fiat, pars omnino rigida facta a sana secedit. Si quoque non omnino penetrata a frigore & rigida facta pars sit, dolores immanes percipiuntur: & tanto certius perniones remanent. Antea laudatus BORELLVS l. c. adducit hominem, qui frigore congelatus reperiebatur. Hunc, reparandi caloris vitalis causa in fimo collocabant. Is vero, ubi paululum ad se rediit iratus, postquam pauca verba protulit, animam efflauit. Si quis etiam non fuerit extreme & ad rigorem vel totius corporis, vel extremitatum quarundam refrigeratus, cauere tamen debet ne ad calorem celeriter accedat, praesertim magnum & aestuantem, ut saepe in hospitibus deprehenditur. Terrere nos debet quod ex SCHEFFERI LAPPONIA citatum legi, frequenter ibi accidere, ut rustici, qui ad sacra celebranda e longinquo confluunt, quando iis finitis ad hospitia redeunt, apoplectici cadant. Id si hominibus frigori aduetis & durissimis euenit, quid non metuere debent minus firmi, minusque adueti?

§. IX.

Si cui a magno gelu laeso *phlyctenae*, id est pustulae liuidae, pallidae, aut, quod pessimum, nigrae exortae sint, ne adspicatur malum, sed mature se curandum committat medico aut chirurgo experientia confirmato: neque citissimam ab eo exoptulet sanationem. Certum enim est subesse multum iam corruptae substantiae; quae debet a sano separari & discedere, ad quod tempore omnino opus est in corporibus antea sanissimis, tanto autem magis in cacochymicis & humorum corruptorum abundan-



dantia oneratis. Quod si omnino aliquis ita sit a fortuna destitutus, ut non possit medici opera uti, illi suaferim rapam radula comminuere & vel butyro vel oleo percolare: colatum cum mucilagine seminis cydon. agitare & inducere: aut, si rapa non adfit oleum sem. raparum vel lini simili ratione temperatum imponere. Si iam separatio incipit & succedit, loco mucilaginis vitellus ovi addatur: tandem ad exsiccantia & consolidantia progredi oportet, quo scopo bene facit empl. aliquod saturninum, cuius generis plura extant, ut de sperm. ran; camphor; Noribergense &c. huiusque generis alia. Si profundior corruptio sit, non tamen ossa tangat, ungu. fuscum Fel. Würtzii vel Aegyptiacum requiruntur: magis tamen suadeo haec ex consilio peritorum quam proprio ausu adhiberi. *Pernionibus*, non exulceratis sed tantum prurientibus factis commode adhibetur litus olei petrae, aut, quae aequipollent, succini, templinum. Alii mane & noctu pedes ungunt felle porcino, cataplasmate postmodum imposito ex pisib. aridis, ieiuno ventriculo in pultis formam masticatis & calefactis optimo cum effectu. Exulceratis iuvat imponere litum ex oleo aut vitello ovorum cum calce viva, lap. calamin. pauxillo myrrhae & camphorae: post repurgationem sufficientem ad consolidationem ducet empl. diapalmae.

§. X.

morbi interni a frigore: Enim vero non solum externa haec damna artubus infert frigus, verum etiam interioribus multum nocere idem valet. Nam dum exterior habitus confringitur, ut humores per eas libere decurrere nequeant: necessarium est ut in interioribus illi magis coaceruentur & detineantur, vasorumque illorum diametri ultra solitum disten-

stendantur. Hoc vero cum inter alias partes capiti etiam accidat, cuius arteriae cerebrum subingressae tunicam suam crassiorem & contractilem deponunt: nihil mirum videri debet, si illis ultra modum infarctis & nervorum principia prementibus, sensuum torpor & ad somnum fere invincibilis inclinatio suboritur: in aliis autem subitanea sensuum ac motuum abolitio, quam Apoplexiam dicimus, consequitur. Probe hoc observavit AVICENNA, qui summe refrigeratos, tanquam narcotico sumto, doloris expertes mori docuit: ipseque vidi in talibus vere insuperabilem propensionem in somnum, ut omnino vi propelli & ad motum incitari, vitae conferuandae causa debuerint.

§. XI.

Ipsa haec ad interiora compulsio & detentio humorum, si non ad hunc feralem effectum properat, sanguini tamen inducit ad spissescentiam & coagulationem non tam dispositionem, quam summam facilitatem. Si vero accedat tali statu, ut ita constituti, semet ab intra calefaciendi spe, multum vini sublimati hauriant, liquoris ad humores coagulandos aptissimi; facile accidit firma gelatinosae sanguinis portionis coagulatio, vix postea resolubilis. Atque sic homini subito enascuntur *polypi* per vasa sanguinea ampliora, & ab his valetudo valde afflicta & in morbos immedicabiles omnino praeceps. Huius noxae exemplum notatu dignissimum legitur in ACTIS PHYS. MED. ACAD. N. C. Volum. I. obs. 220. p. 492. Quum porro in superficie corporis pori omnino clausi sint, ut per illam nihil, aut non aequabili modo, ut par est, exhalet: illae halituosae particulae subsistentes folliculos pororum sub cuticula extendunt, & detenta humiditate

polypi,
emphysema.
hydrops
anasarca,



miditate vaporosa implent, quae tandem ad ductulos, qui lymphaticorum in & sub cute initia constituunt, regurgitant, & cellulas pinguedinosas inflant & extendunt, unde brevi saepe tempore leucophlegmatia insignis exoritur: illis utique qui & succorum pleni sunt, & antequam se frigori exponerent, humores potu calido & spirituosio plus iusto expanderunt. Qui status, si non cito & scite expediatur, in *hydropem anasarca* facile transit. conf. *Excell. D. Prof. SCHVLZE diff. de Emphysemate* hic loci tradita.

§. XII.

*gravedines,
tusses, pleu-
ritides, &
alii.*

Frigidus aer tantoque magis frigidissimus, illas partes per quas inspiratus transire debet, immediate laedit. Sunt autem illae nares, cum connexis cavitatibus seu sinibus ossium capitis, quae communi cum naribus tunica pituitaria cinguntur, fauces postremae, palatum summum, aspera arteria & bronchia: quae tunica admodum porosa & sensibili nervea obducuntur, sibi invicem perpetuo tractu continua & connexa. Hac si transit aer, tunc eo magis has vias laedit, quo magis ibi viget successus excretionum. Magis autem viget, si nos diluentibus calidis & spirituosio, loco bene calente diu assumptis implemus, & deinde itineri ac aeri frigidissimo exponimus, praesertim quieturi in rheda undiquaque aperta. Hinc oriuntur *gravedines, tusses, tonsillae, anginae, pleuritides*: nec raro *cephalaeae diurnae & gravissimae* causa colligitur pituita tenax sinum unum & alterum implens, ibique diuturniori mora corrupta & membranarum acriter vellicans.

§. XIII.

morborum

Ex iis, quae tribus paragraphis praecedentibus dicta sunt

sunt, facile colligimus, salutare inprimis esse peregrinantibus, quamprimum obrepere sub maximo frigore gravem somnum intelligunt, illi omni modo reluctari, minimeque indulgere, nisi itineris & vitae finem simul velint attingere. Multum hic ad salutem facit itineris comes, qui urgendo & excitando operam fidam praestat. Deinde etiam illud consequitur, male sibi consulere, qui spirituosos liquores multum tunc adhibent, sese interius calefaciendi spe & blanda fiducia. Longe melius cerevisiam aut vinum adsumimus, quae particulis spirituosis multo humido aqueo intermixtis sanguinem & diluunt & diapnoen promovent. Sed & illud consequitur, illis, qui noverunt horam, qua se exponere frigoribus deinceps debent, consultissimum illud esse, ut provideant ne ad contraria subito fiat transitus. Si quis vero talium vel ignarus vel incurius laesionem se incurrisse sentiat, illi ad salutem brevissima quidem via profutura duo proponam, quibus sumto interquiescendi spacio utatur. Si habitus totius inflatio sentiatur, utilis erit *essent. croci diluta* spiritu debiliori extracta, per aliquot dies interne adhibita, corpore per omnia sic disposito, ne quid restituendae transpirationi insensibili officiat. Si catarrhus, tonsillae, rufes, pleuritides, angina pituitosa corripuerunt, officium facit sulphur citrinum aut flores eius, cum *oss. mandib. lucii piscis*, C. C. philof. praepar. aut similibus ad exemplum pulveris pleuriticis Mynsichti, permixtum, & per duos tresve dies, corpore ad transpirationem recte disposito, adsumendum.

§. XIV.

Aliquibus sub gravi frigore diutius commoratis a frigore omnis noxa ad ventriculum & intestina convertitur. Sci-

C

licet

*est intestina
luunt.* licet antiqua est observatio HIPPOCRATIS *ventres hye-
me esse humidiores*: utpote plurima humiditate, quae ad
superficiem alias confluit, ibique exhalat, illuc confertim
ruente, quando ab exitu impedita per corporis ambitum
fuerit. Accedit autem, quod iter hyberno tempore
*appetitus
augetur.* peragendum appetitum valde auget, & quibusdam ad vi-
tiosum excessum, quem BULIMON vocant, provehit:
observante illud PLUTARCHO Symphos. VI. Cap. 8. Val-
de notabilis videtur locus, cuius partem adscribam: *qui
per nives multas incedunt, intensissima fame, & prae hac
saepe lipothymia corripuntur.* Accidit hoc BRUTO, qui
Dyrrachio ad Apolloniam tendens vitae periculum sic in-
currit. Profundae erant nives, & qui sarcinas cum cibis
ferebant longo intervallo aberant. Quum itaque dux
animo prorsus linqueretur, praesenti necessitate coacti
milites ad moenia urbis obsessae accesserunt, panem ab
hostibus petitori, quem cum illico acciperent, eo ducem
Brutum refecerunt, qui huius beneficii gratiam insignem
expugnatae urbi retulit, missimum semet victis exhiben-
do. Atque idem auctor testatur, tale quid iumentis per
nives procedentibus saepe accidere, quibus iam omnino
deficientibus celerrime succurri possit pane ingesto, quo
praecipue reficiantur. Plutarchi fidem in hoc confirmat
SENNERTVS Libr. III. P. I. Sec. II. Cap. 4. qui testatur,
si quis in alpibus Rhaeticis hyberno tempore iter faciat,
etsi ab una radice montis ad alteram vix bina milliaria
germanica intersint, neminem tamen ieiunum eas supe-
rare audere.

§. XV.

alvi fluxus, Quae cum ita sint, cogitandum permitto, an male
rommina do. suspicer alvi & ventriculi rommina, dolores, fluxus, a du-
plici

plici causa pendere, nimia scilicet ciborum, invitante ap- *dolores colici,*
 petitu auctiore, ingestione, eorundemque crudorum *& iliaci.*
 male concoctorum, a nimis copiose eo compulsis humo-
 ribus, nimia dilutione, ut modo superius modo infra
 crudi expellantur. In aliquibus, qui excessiva frigora
 diutius toleraverunt, *dolores gravissimi colici & iliaci* ac-
 cedunt, de quibus digna sunt, quae ex supra laudato
 MUNDIO adscribam: Gallus Nobilis a BOYLEO citatus,
 qui in istiusmodi locis meruerat, narrat, se olim quosdam
 ab hac colica seu ileo extinctos vidisse, quibus abdomine
 post mortem aperto intestina livida & glutinosa sanie sibi
 invicem adhaerentia inventa sunt. Gangraena enim a
 frigore inducta siderata erant & putrefacta.

§. XVI.

Adduxi haec, ut peregrinatorem meum moneam, *Quid his in*
 ne in semet magnorum morborum parva initia negligat, *casibus pere-*
 sed ubi ventris tormina, deiectiones, appetitus insolitam *grinanti*
 vehementiam animadvertit, sollicite suae invigilet saluti. *agendum.*
 Ante omnia interquiescendi & valetudinem refarciendi
 locum idoneum quaerat, ibique donec satis confirmatum
 se sentiat, subsistat. Uratur mature theriaca, & transpi-
 rationi ad ordinem naturae revocandae studeat. In
 cibus assumendis ad satietatem plenam numquam accedat.
 Vino probo veteri modice sumto concoctionem iuвет.
 Cruditates, si opus videtur, pilulis blandis balsamicis edu-
 cat. Cascariillae pulverem cum flaved. cort. aurant. affu-
 mat. Calida stomachica & anticolica evitet, quoniam il-
 la, quae subest diathesis inflammatoria talibus non ma-
 gnopere irritari omnino non potest. Tandem clysteri-
 bus ex carminativis & oleosis satis diu indulgeatur, qui-
 bus addi aliquid de vino utiliter potest. Atque hunc

nunc de morbis peregrinatori a frigore metuendis dicta
sufficiant.

§. XVII.

*Aer nimis
calidus quo
modo no-
ceat: exem-
pla.*

Progredimur ad exponendum de noxis, quas *aër*
nimis calidus & aestuosus inducere valet, quaeque infer-
ri illis possunt, qui ex borealibus frigidis regionibus in
australes proficiscuntur, ibique mensibus calidiori-
bus sub dio versari debent. Talis *aër* ex doctrina Illustr.
FRIDERICI HOFFMANNI Praesidis ac Patroni nostri gra-
tiosissimi Med. Syst. Tom. I. p. 337. §. 12. humores corporis
immodice attenuat ac rarefacit, dumque pororum hiatus
latiores facit, inconspicuas distensiones nimis auget. At-
que hac ratione sanguinis particulas subtiliores, quae viri-
um effectrices ac moruum opifices sunt plus iusto eliminat, ge-
larinosas vero, quae in corporis alimentum cedunt, resoluit,
dissipat, magnamque inducit debilitatem. Excessivus cal-
or illis potissimum regionibus accedit, ubi campi deser-
ti & arenosi longe lateque extenduntur, ex quibus ni-
hil humiditatis temperando ipsi admisceri potest, unde
radii solares recta linea in corpus obiectum pergunt, il-
ludque non secus ac de excessiuo frigore diximus, adu-
runt. Pulcherrimus hanc in rem exstat locus apud STRABO-
NEM Geogr. Libr. XV. quo describit quid ALEXANDRO
M. per Gedrosiam iter cum exercitu facienti acciderit:
unde paucissima afferemus. *Alii, inquit, ob solis ardo-
rem sibi confecti in media via iacebant, deinde tremuli in-
ter manuum ac pedum quassationem moriebantur, similia
fere possi illis, qui magno frigore ac rigore detenti fuerant.*
Meminit in eodem discursu magnae ad somnum capien-
dum inclinationis, sub quo plerisque mors surrepsit.
Graviora haec omnia sunt, quando calidissimus *aër* ven-

ro supra haec deserta loca vagante abductus confertim in hominem incidit: cuiusmodi per aliquas Persiae regiones certis mensibus, regnans ventus *Badsamur* cum repentina hominum iter agentium strage, efficit: de quo legi debet elegantissimus medicus peregrinator KAEMPFERUS in amoenit. exot. fascic. IV. & Germaniae medicorum decus b. D. D. LOCHNERVS in Nerio p. 57. sequ. Italis ob malignitatem & insalubritatem notus est ventus *Sirocco*, aestuosissimus, de quo idem LOCHNERVS l. c. p. 60.

§. XVIII.

Aduersus immodicos aestus nihil aequifacit, quam si itinera noctu potius, quam interdiu fiant: ubi vero partem diei impendere debemus, umbraculo aut velamine obducto radios solares arceamus. Vitanda sunt omnia quae humores amplius expandunt & exagitant, spirituosus potus, aromata: contra assumantur, quae humores a resolutione nimia cohibent, ut acida temperata, pomum citri, granatum, similesque fructus, quibus numen regionibus talibus fere abundantius prospexit, ut sunt citrulli, pepones, modo iustam maturitatem adepti sint, neque excessiua quantitate ingerantur. Maximopere cavendum est nimis calefacto, ne se frigido aëri & loco subito committat, ut sunt forte obtingentes specus aliaque loca aduersus calorem optime munita. Scilicet hie quoque ad contraria lento gradu prodeundum est, maximeque cauere debet, ne quis summe aestuans & defatigatus balneo aquae frigidae semet illico committat. Deterreant nos ALEXANDRI milites, de quibus STRABO l. c. multos, aquam nactos, subitoque semet in eam immergentes, spe citius inflatos fuisse scribit, & exanimatos super aquas natavisse: deterreat ipse ALEX. qui in

quid cavendum sub aere nimis calido peregrinantis.

fluvio

Aquae Ciliciae Cydno, cuius aquas frigidissimas perhibent, lavando vitae periculum subiit, sed effugit, felicior *Imperat. FRIDERICO BARBAROSSA*, qui in eodem vitae suae exitum invenit. Sed ad suetis balneo, ubi se aliquantulum a lassitudine collegerunt, iamque deseruerunt, illius usus in primis confert, suadente etiam *GALENO Meth. Med. X. Cap. 10.*

§. XIX.

quid agendum.

Diximus quid cavendum sit, ne magnus aestus facile nobis noceat. Addere his monitis liceat, ut iuvenes, quibus sanguis est fervidior, quique haemorrhagiis obnoxii sunt, mature sanguinis superflui onere se levent phlebotomi opera, diligentiusque etiam vitent spirituosos potus, venerem, iracundiam: utantur vero refrigerantibus & attemperantibus, ut acidis, nitrosis. Atque haec ne differant, quando se valde motos & exagitados sentiunt: potiusque viam interrumpant, quam vitam sibi abrumpi patiantur. Quibus partes aperto & fervidissimo soli diutius expositae in tumorem ac ruborem sublatae sunt, quod accidere tenerioribus solet: his saluti erit acetum lythargyrii, aliquantulo aluminis, aqua soluti turbatum, quod uocant lac virginis, non quidem saturatissimum, sed aqua plantaginis aut rosarum, aut denique quacunque alia bona distemperatum, quo pars abluenda est. Si tale nihil ad manus sit, succus citri aut acetum vel albumen ovi cum sale aut alumine conquisatum proderit. Orientales populi, quando tale quid patiuntur, fantali frustum super lapide arenario, affusa aqua, terunt, idque quod sic detritum fuit, praesentaneo fructu imponunt. Ubi hoc corporibus impuris accidit vitium, saepe fonticarum exulcerationum initium praebet,
ut

ut phlyctenae prius exsurgant, mox cutis spatium sensu omnino privatum, decolor & emortuum subesse deprehendatur, cui si vulnera scalpello infliguntur, omnino sphacelosa corruptio sub cute in partibus cellulosis membranae pinguedinosae procurrens deprehenditur, cuius curatio amplior est, quam ut hic tradi possit, ubi tantum paucos morbos & breviter proponere institutum patitur.

§. XX.

Transimus tandem ad *morbos*, qui peregrinantibus *morbi ab aere ab aere impuritate* possunt enasci & ingenerari. Impurum aërem vocamus eum, qui particulis heterogeneis refertus est. Hae vero diuersorum generum dari possunt in atmosphæra nobis circumfusa, ut *aquosae, terreae sulphureae, sulphureo salinae* a diversis corporibus & elementis in aërem immisissae: estque difficile verbis satis exprimere diuersitatem, quae se ipsa re & effectibus demum prodit & comprobatur. Non licet hic nobis esse physicas, & ex illa utilissima scientia adferre, quae ad hanc rem illustrandam facere possent. Percurremus autem paucis accusatas impuritates, initio facta ab ea, quam *aquosam* diximus. Equidem probe teneo atmosphaeram hanc nostram humiditate aut vaporibus aqueis numquam carere aut carere posse: morbificam autem impuritatem aquosam illam imprimis dico, quando humiditas vappida est, ut in locis subterraneis & vallibus profundis, a vento non perflatis, vel aquis stagnantibus & inertibus calore radiorum solarium in sublime ducta: vel nebulosa ex locis uliginosis ascendens.

§. XXI.

Eiusmodi autem aer duplici modo nocet, primo *Aeris aquosae* quidem quod destitutus est particulis purioribus *ab aere impuritate* there.

quomodo nocet, & qui corrigenda. there liberius accedente immiscendis, quae expansivam virtutem possident, nostrisque humoribus largiuntur: deinde, quod fibras laxas & flaccidas reddendo, transpirationis & perpetuae per superficiem exhalationis succisum supprimit: ex quo fit ut illi, qui diutius tali aere circumfusi degunt, cachexiam vel scorbutum cito contrahant. Quod si ad vappidam humiditatem accedat calor, corpora cito resolvuntur, debilitantur, sudoribus diffuunt. Talem, antequam morbidum corpus reddat, deferendum peregrinanti suademus: quod si non licet illico facere, emendet ipsum luculento igne succenso, interioribus autem succurrat, si frigus est, vino generoso, si calor iungitur, aceto, cum theriacae modico. Quin ipsum conclave, si pernoctandum ibi est, aceto prunis insperso, aut vino sparsa, qualitercunque emendabimus: aut suffumigio alio, quod ad manus est bene impleatur, deinde per fenestras & fores emittatur fumus, humiditatem vappidam simul secum educturus.

§. XXII.

Aeris impuritates pulverulentae terreae, & noxarum inde enatarum praesidia. *Impuritates aeris pulverulentae terreae* diutius suscipit & in asperam arteriam atque bronchia admittit, illis praecipue nocent, quibus respiratio iam antea difficilis est, facileque tusses excitant ferociore. Cavebitur magna ex parte, si ori & naribus linteum rarius obducatur per quod aerem introducamus: deinde ad hospitium delati & puriori aere gaudentes potu largiori, & potissimum calido, humores diluant, fermocinando autem vel clare legendo aut cantando moveant partes illas, quo citius tuffiendo deinceps emoliri possint haustum pulverem. Si quid puncturae & dolorum accedat, oleum amygdalarum dulcium cum spermate ceti in iusculo vel carniū gelatinoso

tinoso non salito, vel decocto avenae exsiccatae cum saccharo aut syrupo quodam pectorali assumant. Ut nares & cavitates ossium capitis, quae in eas hiant, citius liberent, super decocto calido coffee vel infuso thee os naresque aliquandiu teneant, ut vapor calidus subeat: deinde pulverem sternutatorium adhibeant.

§. XXIII.

Impuritates aeris sulphureae vel maxime cavendae sunt itinera agentibus. Illae quidem multis locis obtinent ab exhalante e cavernis subterraneis suffocativo & reae vitae inimicissimo vapore, ut in omnibus itinerum scriptoribus refertur de *charontis specu Putcolano*, cuius pestilentes vires praestat in canibus spectare, quam in seipsis experiri. Quando terra vehementiori motu tremuit, subinde fissurae profundae aguntur, ex quibus similes vapores longe pestilentissimi exsurgunt, a quibus quantum fieri potest fugiendum est. Saepe per minerarum metallicarum fodinas subito erumpunt tales vapores, a quibus metallifossore illico sese recipiunt, ni velint sepore aeterno sepeliri: quare curiosi peregrinatores, qui naturae operum scrutandorum desiderio tenentur, ante quam se in hos puteos demittant, sciscitari oportet numquid huiusmodi aliquando aut certis temporibus ibi accidere observatum sit: ubi melius est cohibere discendi studium, quam de vita periclitari. Juvat tale quid passos & recens subductos illico aqua frigida perfundere, ut partibus externis a frigore contractis motus humoribus stagnantibus restituatur, sicque auram illam sulphuream in bronchiis & pulmonibus stagnantem & ingressum purioris aeris praeculentem expellant.

D

§. XXIV.

§. XXIV.

Vapor carbonum nocivus.

Non pauci iter coelo frigido & nebuloso facientes, ubi divertendum fuit in obviis potius aedibus quam commodis hospitibus, vitae periculum insigne incurrerunt, quando frigoris arcendi causa prunas clausis conclavibus imposuerunt. Quo magis locus angustus est, quoque frigus intensius urget, eo potentius iste a carbonibus prodiens vapor nocet, praesertim homini per itineris molestias defatigato & cibis potuque repleto, & si ipsum conclave recenti calcis tectorio obductum fuerit. Haec singula concurrerunt ad Imperatorem IOVIANVM interficiendum, docentibus AMMIANO MARCELINO Lib. XXV. EVTROPIO Lib. X. extremo & s. AVR. VICTORE p. 493. edit. Erasmi. Quam noxius sit iste vapor luculenter docuit Ill. PRAESES Med. Syst. Tom. II. p. 293. seqq. pluresque auctores indicavit, ubi exempla sicenecatorum adducta legi possunt. Infidiosum est venenum, quodque vix sentientibus blandi specie somni subrepat. Felices sunt quibus illico superveniunt, qui fenestris foribusque reclusis libero aeri accessum permittunt, aut potius illico extractos ad aerem puriorem reponunt. Magis iam laesis profundioreque lethargo sopitis profunt illa, quae ad apoplecticos & lethargicos excitandos idonea sunt; extremum tentamen sit cauterium plantis pedum aut vertici applicatum, vel utriusque loco simul admotum.

§. XXV.

aeris impuritates sulphureo-salinae pestilentes.

Aer impuritate sulphureo-salinis repletus morbos populares contagiosos inducit. Si ergo peregrinanti per loca, ubi morbi contagiosi in propinquo grassantur, iter faciendum est, optime sibi consulat, si quam longissime

sine ab ipsis infectis deflectat: nihil enim certius pesti-
 lentiam quamlibet avertit pilulis istis de tribus: *fuge cito, cum. Praesi-*
longe abi, tarde redi. Si vero omnino incautus incidit
 rit in talia loca, aut fugere nesciat, exitu regionis undi-
 quaque clauso & obfesso, nihil aequè iuvat quam animus
 imperterritus & metum ac terrorem vincere doctus.
 Neque tamen negligat praesidia artis salutaris. Mode-
 rationi in omnibus studeat, temperans sit, infectorum a-
 des fugiat, rus quaerat, utatur theriaca aut diascordio
Pracastorii cum multo aceto, floribus sulphuris cum rob-
 sambuci aut iuniperi in bolum redactis & devoratis hau-
 stum acetì vel succi citri superingerat. Nec insuper ha-
 beat amuleta quaedam, quae iter ingredientibus secum
 ducere suaserim. Talia sunt radix colchici auctumno ef-
 fossa & de collo gestata, amuletum ex bufone HELMON-
 TII in *Dispensatorio Brandenburgico*, ut & a IOH. ZWELF-
 FERO descriptum. Saepe etiam parvis rebus magnam
 inesse gratiam compertum est illa pestilentia, quae ante
 aliquot annos per Hungariam & Austriam grassabatur, ubi
 multi muniti sunt a mali contagio, qui radicem planta-
 ginis sindoni inclusam e collo gestarunt: sive remedium
 ipsum, valuerit, sive profuerit eius fiducia metus & ter-
 roris partem animo eximens. Qui fumo nicotianae su-
 gendo adsueverunt, illius usum ne seponant isto tempo-
 re; fidem faciente ISBRANDO de DIEMERBROECK sibi
 aliquoties levamen ab eo esse allatum, quando ab aegro-
 torum visitatione plane languens & male habens domum
 redierat, contagiumque manifestis signis in se perceperat.

§. XXVI.

Impuritates aeris salino sulphureae non solum pe- & dysente-
 stilentiam populariter inducunt, verum etiam *dysenterias, rias, vario-*
vario-

lus, morbil- variolas, morbillos. Duorum ultimorum respectu peregrinanti morbis hisce nondum defuncto, magnopere suaderim vitare illa, ubi grassantur ferocius, loca, ne extra patriam sepeliri debeat. Nimis iam multi etiam summi ordinis viri, suo exemplo comprobaverunt, quam grave sit adultum hominem extra patriam hoc morbo laborare, corpusque suum curandum methodo exteris consueti permisisse. Quanquam enim nec patriae cuiusque suae optimus medicus cuivis varioloso salutem certo potest promittere; quoniam epidemiae constitutiones infinitis modis diversae sunt; adeoque nec aliorum annorum optima curatio praesenti quadrare saepe solet: semper tamen inter duos pluresve medicos aequae doctos & experitos peregrinanti praefendum existimo familiarem suaeque patriae utilis ac proficuae methodi gnarum, cuivis peregrino. Nimis sunt multa, quae de curatione varia hic dicenda essent, unde nihil malo dicere, quam, quae non sufficienter explicata, potius implicare, quam instruere valeant. Dysenterii grassantibus inprimis suadendum est, ut caveatur usus fructuum horraeorum fermentescentium, quippe ab his occasione arrepta malum facillime infidere consuevit. Si quis mali primordia in se senserit, mane theriacam cum aceto sumat, deinde post prandium & coenam frugalem secalis tosti in farinam comminuti cochlear unum cum vitello ovi crudo subactum, devoret, seque ita domi contineat, ut blandae transpirationi ac miasmatis suscepti eliminationi nihil impeditenti obiciatur. Purgantia, ipsaque laxantia rhabarbarina, spem & expectationem saepissime fallunt, idque iactatum specificum antidysentericum hipecacuanna, fidem iam pridem decoxit. Si augeat malum & sitis urgeat, fiat emulso ex amygd-

mygdalis cum decocto hordei cum C. C. ipsique vitellus ovi admisceatur. Vigeat inter haec, quantum fieri potest, regimen diapnoicum, neque omitatur febris accessoriae, quae plerumque adest, prospicere, quod maiorem circumspeditionem postulat, quam paucis, ut nostrum fert institutum, includi queat.

CAPVT II.
DE MORBIS PEREGRINANTIVM
EX CIBO ET POTV ORTVM
DVCENTIBVS.

§. I.

EAdem, quae vitae conservandae, legitimo usu recte que comparata inserviunt, morborum quoque causae fiunt, si minus recte offerantur, aut vitio quodam corrupta sint. Vidimus id Aëris exemplo: sed nunc per classem ingerendorum vel ingestorum ciborum ac potuum ibimus, visuri quos morbos ab his sibi peregrinantes extimescere debeant. Laedunt autem talia etiam in se rectissime constituta & inculpata, si nimia copia vel intempestive assumantur: quod evidentibus noxis quidam experti, cavere deinde didicerunt. Sic omnis cibus, tantoque magis solidus, post longam & insuetam famem avidius ingestus, multis fuit citae mortis causa. Et qui celerrimum iter equis velocibus peragunt, & longius progredi eadem diligentia coguntur, imprimis sibi cavent a refectioe per alimenta solida, & plerumque ovi unius vel alterius vitello, vino bono permixto contenti sunt. Si vinum hospitii paupertas negat, cerevisiam calidam immisso vitello hauriunt, & forte buccellam panis optimi subiungunt. Vitae

Nimia vel intempestiva ciborum ac potuum assumptio peregrinantibus noxia.

inimicissimum est a motu & calore ambiente aestuanti cor-
pori potum gelidum infundere, omninoque cavere ab hoc
errore oportet. Paululum requiescendum & deambu-
landum est, dum aestus maximus deferveat, tum vero
parvis haustibus aliquid licet assumere. Pulcerrime prae-
cepit CORN. CELSVS Lib. I. cap. 3. *Si quando insuetus
quis laboravit, aut multo plus, quam solet, etiam is qui ad-
suevit, huic ieiuno dormiendum est. Illud quoque nosse opor-
tet, quod ex labore sudanti frigida potio perniciosissima est:
atque etiam quum sudor se remisit, itinere fatigatis inutilis.*

§. II.

*A potu frigi-
do intestinis
calentibus
infuso, ma-
la: & eo-
rum curatio.*

Inducit talis porus intestinis calentibus infusus, in il-
lorum repletis vasculis circulantibus humoribus, lente-
scentiam & stagnationem; unde saepe nimis cito febres in-
flammatoriae oriuntur, quae se ad mesenteriae, hepar,
lienem extendunt, & vel acuto schemate, cum summo
periculo, decurrunt, vel ad lentam & hecticam consum-
tionem viam sternunt. Si quis incautus ita peccaverit, si
mali initium magna cardialgia & anxii vomendi conatibus
sentiat, ante omnia caveat sibi ne novo errore malum suum
augeat & salutem praecipitet, vomitoria medicina sumta,
sub vana spe & praefiguratione naturae conatus adiuvandi.
Illico potius veniat ad efficacia discutientia & resolventia,
quae iam incipientem stasin expedire valeant. Conatus
vomitorii compescantur blando quodam anodyno, ut aqua
theriacali cum diapnoicis distemperata, mixtura simplici,
paucisque guttulis laudani liquidi Sydenhami, vel modi-
co theriacae veteris. Exterius imponatur empl. de bac-
cis lauri cum saponato aequalibus partibus mixtum, addi-
to, si placet, illo de ammoniaco Foresti. Si in via id ac-
cidat, ubi pharmacopolium non suppetit, coquatur fego-
pyrum

pyrum cum aqua ad mollitiem, addantur, si ad manus sint, flores chamaemeli, & crocus: haec pulslinteo inclusa ventriculo & hypochondriis imponatur. Aegrotus quiescat, & ad diapnoen dispositus maneat: manus etiam ac pedes admotis calidis foveat, ut blando ac universalis sudore sponte erumpente liberetur. Fracto iam mali impetu pergat aliquot diebus uti antipleuriticis. Satis citam opem tali casu affert infusum arnicae florum verorum, sed cautam & modestam in exhibente circumspeditionem requirit. Potest infusum pugillare praescribi ex floribus dictis additis fl. bellidis minoris & papav. rhoeados. MINDERERVS floribus bellidis tantum hic fidei, ut optet in omnibus hospitiiis suspendi tabulam, qua peregrinatores de virtutibus huius plantulae admoneantur.

§. III.

Omniū quidem rerum moderatus usus efficit, ut minus laedi etiam ab incaute assumto noxio possimus. Sed sunt tamen aliqua, ubi vix satis sibi cavere peregrinantes possunt. Quid enim tutum satis erit, si ipse panis, ipsa cerevisia, ita saepe per integros tractus viciantur, ut quasi epidemios morbos inducant. Id vero saepe factum fuisse, ubi lolium temulentum, aut secale corniculatum nigrum, (quod veteres cornu spicae vocabant) in frumentis pani pinfendo destinatis aut cerevisiis coquendis, vel incaute relictum, vel ab avaris, aut ex necessitate parvis, adiectum fuit, addocet Illustr. FRID. HOFFMANNVS l. c. p. 299. §. 13. Sed monendus mihi videtur peregrinator noster, ut illis annis, quibus ante messem, eaque durante multae pluviae decidunt, panes aliquid in colore & sapore suspectum offerentes observet, praesertim in vicis & pagis, tanto magis, si iam auditur de morbis spasmodicis,

Viria cibi & potus a lolio temulento, &c.

cis, qui multos simul in eadem regione aggrediuntur. Eodem tempore vitet carnes coturnicum, qui lolio temulento se libenter implent, comeestae autem convulsiones hominibus inducunt: unde iam olim infamatae fuerunt, quamquam ex alia, nescio an vera an commentitia, ratione, quod ellebororum semina devorent, indeque venenatam indolem induant. Nec alaudae refugiunt hoc lolium, indeque saepe accidit ut integris familiis, quae illis largius usae sunt, graves noxae eveniant, quod ante tres quatuorve annos saepius per Franconiam, etiam in aulis, accidisse a viro fide dignissimo accepi. Et quoniam de avibus sermo incidit, memini me in Transylvania vidisse qui turdorum affatorum ventriculos iucunde exfugerent. Innoxie hoc fieri credo in illis, quibus ventriculus iuniperi baccis impletus est: an aequè impune laturi sint, si inciderint in aves fructibus solani furiosi pastas, (quo pasci eos satis certum est,) cogitandum relinquo.

§. IV.

Carnes animalium morbo exstinctorum assumtae vomitu reiiciendae.

Quis omnia paucis includet, quae de noxiis cibis dicenda essent? Compertum est bonis peregrinantibus in cauponis miseris divertere coactis, carnes animalium morbo exstinctorum, praesertim in lue pecorum epidemia, elixas, saepius sale conditas aut fumo induratas fuisse appositas: quod periculo & abominatione non carere possent. Consultum erit, ubi suspicio iusta oboritur, abstinere carnibus, nisi videamus esse ex recens maectatis, potiusque famem expugnare mollibus ovis, caseo, butyro, pane, piscibus atque similibus, cum nullo periculo coniunctis. Si vero iusta suspicio incaute assumti talis noxii edulii oboriatur, consultissimum est illico vomitum procurare, ut expellatur, qua brevissima via licet, periculosum epulum.

lum. Promte autem vomitum, utique in evemetis, promovet aqua tepida largius assumta, aut radícula praemanfa copiosius, deinde faucibus intrusus digitus, aut penna oleo illita ad fauces immissa & circumacta, ut titillationem faciat. Post vomitum peractum iuvat unum sublimatum bibere cum tantillo theriacae, aut, ubi illa officinalis non adest, cum allio, quae rusticorum theriaca non male ab antiquo audit, cuius utriusque remedii ope transpirationis successus impetratur, ut noxium omne tanto citius expelli possit.

§. V.

Potuum corruptorum varia genera peregrinanti obvenire solent, quorum alia cauponum ingens malitia obtrudit incautis, alia intolerabilis necessitas sitis cogit non spernere. Cerevisiae incoctis temulentiam facientibus, ut lolio temulento, de quo ante diximus, aut cistorismarini foliis ferrugineis, medicatae vix ulla perspicacia a peregrinatore cognoscentur, sed altero die sentiet maleficium, si dolore capitis gravativo & temulento premetur. Vinum austerum & acidum corrigunt iustitiae vindice gladio ferendi caupones iniecto lithargyrio: unde multi homines in morbos incurabiles fuere coniecti, ob profundam adstrictionem, quam perpetrat hic potus in minimis colatoriis & visceribus nostris. Cavere hic sibi melius est, quam curationem optare & quaerere, vix tamen invenire. Ubi quam minima est suspicio, malitiam aquam potando saluti consulere, quam vinum bibendo eam pessumdare. Faciet autem suspicionem, si in regione acida vina suppeditante, quando auctumni frigidiores & humidiores praecesserunt, vina offeruntur palato gratiora, sed in recessu aliquam adstrictionem in faucibus re-

Potuum corruptorum, cerevisiae lolio temulento, vini lithargyrio infecti, nota.

E lin-



linguentia. Propius nos peregrinationem subituros iuvabit recens paratus liquor exploratorius, ex auripigmento nativo cum lixivio calcis vivae decocto, qui omnem plumbei miscelam sedimento nigrescente, ex vino infundum proiecto, deteger: in quo tamen aliqua exercitatione opus est, quum cautelae adfint longiores, quam ut hic satis exponere de illis nunc liceat.

§. VI.

*Praecautio-
nes in aquis
ex lacunis
obviis biben-
dis, & femi-
nae hoc in
casu incau-
tae exem-
plum.*

Dura necessitas saepe compellit peregrinatorem ad potandas aquas obvias, quas non optimas esse pluribus etiam signis agnoscit. Deliberationem saepe omnem aufert sitis vehementia & festinatio necessaria. Haec nisi adsit, ante omnia suadendum est, ut aquae, quas bibituri sumus, per rarum linteum colentur, ut insecta & insectorum aliorumque similibus inhaerentia ovula removeantur, alias lubricitate sua facile ad ventriculum per fauces ingressura. Si plus morae indulgeatur, amplius etiam corrigere eas coctione & nova percolatione ac refrigeratione licebit. Qui vero sine tali praecautioe aquas ex quavis lacuna obvia imbibunt, haud raro simul deglutunt teneras hirudines, magna in ventriculo & intestinis mala daturas, aut ovula ranarum lacertulasque iuvenes nuper exclusas, quae incredibili hominis calamitate valetudinem adfligunt saepe per multos annos, donec casu potius quam certa curantis cognitione deprehendantur. Multa leguntur exempla talium morborum, sed unum instar omnium adducam ex *Annalibus physico-medici Wratislav:* a D. D. KANOLDO collectis. Femina paupercula Memmingensis, calidissimo coelo per agros vagata, siti intensissima premitur. Bibit ex lacuna obvia, ovulis ranarum, ut credere par est, repleta. Ab eo tempore per

per XVIII. annos miserime excruciatā est intestinorum doloribus, quibus omnia se iungebant, quae hystericae mulieres perpeti solent, suffocationes praecipue uterinae & aphonia, cum rauedine insigni. Huic quum remedium daretur linctus ex oleo amygd. dulc. cum syrupo viol. & spir. salis ammon. anisato, mox mire exacerbatis doloribus prodibant ranae multae vivae, quibus plene expellendis purgatio efficax feliciter subiungebatur.

§. VII.

Plura commendantur emendandis noxis ab aqua insalubri proficua, quae inter non postremum nec contem-
nendum est allium, quod transpiratione conservata & intensa halituoso-salinam corruptionem sensim emolitur. Si quis illico ab haustu male habet, neque id ex solo erato, quod §. 2. notavimus, esse constat, iuvabit vomitu evocare noxiam aquam & cum ea absorptas fordes. Si metuitur alterius noxae coniunctio, oleum quidem camino addere nefas est: sed periculo illo iam superato post aliquot dierum decursum purgante medicina, subiunctis multis liquidis, intestina iuvat eluere.

Noxae ab aquae insalubris haustu oriae quomodo tollantur.

§. VIII.

Gravioris momenti sunt illae noxae, quae peregrinantibus aliquando ab impiis & insidiosis hominibus metuendae sunt, qui cibum & potum noxiis medicamentis inficiunt, ut vel vitae & fortunae insidias faciant, vel amorem perditum homini infundant: quam potionem philtum dicere solemus. Optandum est, ut illico sentiat quisque, cui hoc evenit, praesens vitae rectaeque valitudinis, ac inprimis bonae mentis periculum, & ut mature revomere omne virus possit, antequam in humorum societatem abripiatur. Nam per antidotos singulis

Cibum ac potum noxiis medicamentis infectum, philtum peregrinans fugiat.

venenis contrarias parum efficitur, nisi illa quantocys expulsa fuerint. Hoc facto reliquias vincere satis saepe est difficile negotium, & longam curationem requirit, quae massam omnem humorum repurget, & ex ipsis solidis iam imbutis per aliquam quasi recorporationem illud removeat, quod perversum & alteratum est. Notabile hanc in rem exstat exemplum apud HENR. ab HEER obs. lib. I. 13. ubi iuvenis philtro accepto in extremam calamitatem coniectus sistitur, quem forte sola naturae vis periculo eripuit, eiecto tandem ad superficiem corporis omni noxio, ablatisque per magnas & crustosas fissuras, cuticula, cuti, omnibusque pilis & unguibus, per alium autem expurgatis limacibus magnis, vivis, rubris & repentibus. Totus sibi & rectae valetudini redditus, omnium praeteritorum, quaeque in bonis litteris profecerat, quin proprii nominis prorsus immemor fuit, ut discere ab integro omnia opus ipsi fuerit. Docere exemplum hoc potest, quam dira res sit veneficium & praecipue exoticum: simulque ostendere, quorsum medicus respicere debeat, si quid ad salutem afferre desiderat. Sed hic locus plura nunc dici de hoc argumento non permittit. Peregrinaturum autem suaserim aliquas antidotos in promptu habere: quarum aliquas describit HENR. RANZOVIVS in libro *de conservanda valetudine*, haud certe contemnendo, quas inter HELMONTIVS miratur antidotum Saxoniam, eamque non humanae sapientiae sed nobilioris originis inventum indicat.

§. IX.

Monita generalia circa esculenta & potulenta. Generalem subiungo circa esculenta & potulenta admonitionem peregrinaturum cuius saluberrimam futuram: Scilicet quotidie fere horum intuitu rebus novis se ex-

se expositum meminerit: unde si quid infuetum primo offeratur, ne se largius illo impleat, sed per exiguas portiones illi adfuescat, ac subinde, dum licet, ad consueta redeat. Sic qui vini potum quotidianum habuerunt, cerevisiam lente se tradant: qui cerevisiam in patria quotidie potaverunt, vino blandienti non multum fidant, donec consuescant. Vinis Germaniae adfueti non perinde ferent Hungarica, vel Gallica aut Italica. Minus periculi incurrunt, si vinum aqua temperaverint, modo bona suppetat: aut oligophora prae generosioribus elegerint. Sic cerevisiae tenuiores semper praeferendae sunt saturatoribus & generosis. Multum etiam moderationis adhibendum est in usu fructuum horaeorum, illis utique, qui ex frigidioribus terris ad calidiores, talibus deliciis abundantes, transierunt: tantoque magis, quando iam alvi fluxus & dysenteriae populariter grassantur, quippe ab his occasione arrepta facile in plures transeunt. Tali constitutione consultum est omnes fructus, imo & olerivitare, & potius oryza, pultibus farinaceis, ut & ex milio, fegopyroque coctis, multum uti, hordeoque mundato & decorticato cum aromatibus temperatoribus, pauxillo croci adiecto: vinum quoque paulo meracius magis tunc, quam alio tempore convenit.

§. X.

Inter edulia noxia & periculosa plurimum infamati sunt fungi, pleni que sunt omnes historicorum, nedum medicorum, libri exemplis hominum, qui ab esu eorumdem fungorum, quos alias sine periculo assumerant, graviter fuerunt laesi, & ad orcum praecipitati. Id si domusuae non satis cavere quisquam potest, quanto magis consultum erit peregrinanti, ut suspecta habeat haec gulofo-

*a fungorum
esu noxae;
& curatio.*

rum hominum periculosa oblectamenta? Si quis vero
 passus illis fuerit, & a cibo perceperit angustiam quan-
 dam, nec non gravitatem cardialgicam, cum strictura
 pectoris tanquam suffocatoria, nolit sibi diu deesse, sed
 illico vomitum, quo licet cunque pacto, promoveat, ne
 syncope cum sudoribus frigidis superveniens vitae fi-
 nem imponat. Hauriat illico aceti bonam portionem,
 huic aquam tepidam multam cum oleo super ingerat,
 tuncque digito faucibus immisso vel penna oleo intincta
 vomitum proritet, semper superbibendo tepidam, donec
 se levatum & ab assumpto edulio liberatum sentiat. Su-
 perato iam maximo periculo curet etiam intestina ab in-
 gressu iam & profundius demisso cibo liberari per portio-
 nem laxantem, & infusa enemata: quibus etiam acerrimis
 utendum tunc est, quando constrictio suffocatoria
 vomitum fieri non patitur; aut factus non satis pro ratio-
 ne levat. Dicunt Arabes mel esse fungorum certissimam
 antidotum: de aceto Galenus idem promittit. Juvabit
 igitur maxima periculi parte depulsa reliquum deinceps
 oxymeliti permittere: quin inter vomendum oxymeli
 continuo ingerere.

§. XI.

*Spirituum
 ardentium
 abusus vi-
 tandus.*

Admonendi etiam sunt peregrinantes de spiritu
 ardentium abusu cavendo. Blanditur multis nomen a-
 quae vitae impositum; sed cautione opus est, ne mortem
 inferat abusus. Modica quantitate, quae drachmam non
 excedat aut certe non alteram, indulgeri potest coelo
 humido frigido & nebuloso, praesertim si non ieiuno
 ventriculo infundatur. Neque reprehendi magnopere
 potest, ubi potu aquoso vappido utendum fuit. Sed ubi
 magnus aestus est, itemque quando excessivum gelu per-
 peti-

petimur, tantoque magis, quando sedentibus & quietibus perpetiendum est, magnopere nocere potest, de quo me superius aliquid iam dixisse memini. Illis cum saccharo & odoratis rebus iucundioribus redditis tanto minus indulgendum est, quanto facilius est gulae delinimento hoc ad excessum invitari: & quoniam oleosae aromatum partes admixtae sanguinem vehementer incendunt. Nostra quoque memoria homines scelerati invenerunt rationem hoc potus genus insensibili fere modo venenatum reddendi: credoque apud Neapolitanos superesse memoriam damnatae aquae de Tuffano dictae, quae multis perniciem attulit: cuius memoriam esse, locis utique suspectis, decebit peregrinatorem, ne dulce venenum aere suo emat, hostibusque ludibrium debeat, quando ipsi sera poenitentia non profutura est.

§. XII.

Atque haec sufficiant de morbis peregrinantium illis, qui ex assumtis vel esculentis vel potulentis originem trahunt. Superesset nunc, ut per reliquias res non naturales in scholis dictas eundo, morbos eorum culpa & vitio enasci solitos, exhiberem: iamque a me multa, quae huc pertinent, collecta & ex parte maxima in ordinem digesta praesto erant; neque poenitisset sumtuuum in cetera capita typis etiam exscribenda impendendorum, nisi praeter opinionem citius peregrinandi necessitas impo- neretur, quae moram non patitur. Consilio itaque Patronorum & Praeceptorum tanto libentius imperiosae necessitati acquiesco, quum data haec & exhibita pro specimine inaugurali sufficientia benigne iudicent. Ego vero, si Deus adspiraverit votis & consiliis, efficiam, ut quae porro in itineribus experientia suggeret, quaeque ab ex-

*Cur nobis si-
lum ulcerius
ducere non
licuerit.*

partis

pertis didicero, colligam, iustumque opusculum de his exhibeam illis profuturum, quibus salutem & vitam inter peregrinandum conservare studium homine dignum videbitur. Dum haec fiant, addo monita quaedam, quae proficua fore existimo; ut & formulas quasdam remedium, quibus utatur peregrinator, si medico omnino destituatur.

I. Notabile iter aggressurus consideret: an impuris humoribus, aut alioqui bonis quidem, sed multis corpus suum abundet: illos corrigentibus, hos evacuantibus, decenter, antequam itineri sese committat proportioni restituar.

II. Iter acturus, cum in sex rebus non naturalibus mutationem facere vel ex parte vel ex toto debeat: praecipiat domi suae illi cibo, potui, exercitio, aut aliis rebus, nisi malae sint, adsuescere: ut cum in via fuerit, facilius talia ferat: in reliquis sciat **VICTRICEM FORTVNAE PATIENTIAM** dici.

III. Peregrinaturus, nisi res aliter facere urgeat, aut nivofos Rhaetorum ac similes montes pertransire oporteat, tempus sibi eligat veris, quod a Medicis saluberrimum, aliarum anni partium respectu, pronunciat.

IV. Si in aerem calidiorem suo nativo pergat, locum, in quo residebit, eligat septentrionem versus: & contra si in frigidior.

V. Satagat, ut quovis mane ante discessum alvi & vesicae evacuationes habeat.

VI. Si loca, in quibus morbi epidemii grassantur, visitare cogitur, omni mane, ex magni illius trium Imperatorum Medici **CRATONIS** consilio tincturam aliquam bezoardicam vel essentiam ambrae in usum ducat: & pulvere

vere catarrhali ex succino, styrace, mastiche composito, pileum, manicas, imo hospitium diligenter perfumet.

VII. Maiorem partem itineris ante meridiem absolvere contendat, ne concoctio impediatur: hinc

VIII. Cibus in prandio sit bonae substantiae & quantitatis paucae: coena vero largior non nocebit.

IX. In hospitii caveat a piscibus vel pridem asservatis vel recolis: praesertim si in vasis aeneis aut cocti aut contenti fuerint. Ova potius forbilia modo recentia sint, cum potenti vino, sed paucis, praesertim in prandio proderunt.

X. ORIBASIVS aestate peregrinanti fasciam mollem latitudinis 6. aut 7. digitorum, longitudinis autem non minoris quam 5. cubitorum, lumbos usque ad laterum mollitudinem circumdantem, commendat: hyeme vero post peractam unctionem, etiam spinam & pectus tali circumdare fascia, praecipit.

XI. Humidos ac madidos pedes diu ferre, & maxime, si insuper cibus se repleat, peregrinanti est perniciosissimum.

XII. Famem, quam peregrinantes quandoque experiri coguntur, affata iecinora, praesertim anserum sicut pastorum, bene pellunt: delicatioribus panis martius proderit: pauperiores in locis sterilibus peregrinaturi secum ferant pulverem ex tostis carnibus siccatis.

XIII. Iter agens potus penuria pressus, non multum loquatur, cum ex hoc non parum sitis accendatur: nec cibus duris, bene salitis, aut aromatizatis utatur: Acetosella potius, lactuca, portulaca, vitium capreoli masticati proderunt. Nec minus nimiam sitim posca ex aceto & aqua parata, exstinguit. Ultimum vero ad sitim mendosam remedium est, dormire sine potu.

XIV. Cochlear, cultros, mantilia mensae propria habeat, nec cum ignoto uno utatur poculo Culcitra & tapete lecto infernendo proprio utatur, omnesque conditiones lecti, ipsiusque cubiculi, antequam decumbat, visitet, ne quid mali sanitatem vel ipsam vitam laedens experiri cogatur.

XV. In locis secretis observet, ne, priusquam papyro detergat afferem, desideat: aut si aperta sunt, ventusque ea perflat, ne nimis calens desideat: nam observavi, ex hoc colicas passiones, mulieribus autem mensuum vitia, ex illo vero infectiones esse subortas.

XVI. Si ad vomitum celeriter movendum supra commendata non sufficiant, in promptu sit pulvis ex rad. hipecacuanhae gr. xx. tartari emet. gran. j.

gr. j. aut ij. Notandum tamen est quod longiori durationi inepta sit radix haec comminuta: adeoque si trimestrem aetatem adeptus pulvis fuerit, praefat eum abicere. Durabilior erit sequens, qui recipit pulv. rad. ari. animonii diaphor. singulorum grana viii. tartari emetici gr. iii.

XVII. Si alvi beneficio ad plures dies destitutus capitis dolores & alui tormina incurras, illico tibi capias drachmas duas, tresve foliorum fennae optimaе. Superfundas illis aquae ferventis libram dimidiam, & illico absque praevia ebullitione, incipe haurire infusum, addito pro edulcoratione saccharo viliori, aut, si placet manna. Miraberis blande efficacem medicinam.

XVIII. Sit quoque in promptu pulvis rad. ialappae, cuius xx. grana aut xxiv. assumas, quando efficacius purgare animus est, & necessitas requirit.

XIX. Si ventriculus diu cibos nauseat, aut ardore oris ventriculi vexaris, adhibe pulverem digestivum ex lapidibus cancerorum praeparatis & radice ari, singulorum gr. viii. tartari vitriolati, salis absynth. singulorum gr. iv. pulverem hunc sume ex aqua frigida hora una ante cibum. Eundem potes vesperi sumere cubitum iturus, si altero die ialappa te expurgare constituisti.

XX. Quando febres populariter grassantur, aut aer nebulosus frigidus febres & catarrhos minatur, optime tibi consules, si quotidie talem pulverem sumeris. Recipe C. C. sine igne praep. mandibularum lucii piscis, singulorum drachmam dimidiam, fl. sulphuris gr. xx. misce, dividatur in 4. part. aequales.

XXI. Si nimii calores aestuare te faciunt, sumas drachmam dimidiam huius pulveris: Recipe nitri optimi, tartari vitriolati, singulorum drachmam unam, antimonii diaphor. lapid. cancerorum aa. drachmam unam cum dimidia, cinnabaris praeparatae scropulos duos.

XXII. Si tibi contigerit magno terrore affici, aut gravi iracundia concitari, ad manus sit mixtura simplex: cuius guttas xxx. cum aqua vel vino assumas. Potes, si non, dum ad quietem omnia redierunt, post aliquot horas remedium repetere.

XXIII. Si a conversatione cum hominibus scabiosis aut lue venerea adfectis aliquid contagii te suscepisse metuis, per aliquot continuos dies cape viginti grana aethiopsis mineralis, & aliquando ialappam interpone.

Haec nunc sufficiant. Ultimo commendamus peregrinanti praeclaram Illustris Dn. PRAESIDIS Dissertationum trigam: De peregrinationibus sanitatis causa instituendis. De morbis certis populis & regionibus familiaribus, & eam quae septem leges sanitatis exhibet, hac in materia evolvendam.

F I N I S,

CLARISSIMO
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRAESES.

Quod si recta philosophandi ratio ulla in disciplina peculiarem locum & eminentem usum sibi vindicat, certe est in ipsa Medica. Nam sicuti philosophiae studium effato ipsius CICERONIS & omnium philosophorum in investigandis rerum & effectuum causis quam maxime occupatum est; ita illud in primis in arte medendi obrinet: ubi tum ad vitam & sanitatem conservandam, tum ad insultus morborum avertendos & propulsandos apta & accommodata peritus in arte proponere debet remedia: quae nihil unquam proficiunt, nisi ad horum causas fuerint directae. Quapropter non modo vitae & sanitatis, mortis & morborum causas, quae non eiusdem, sed diversi sunt generis, Medicus scire & investigare debet; sed scrutari etiam oportet ipsorum elementorum, alimentorum & aliarum rerum non naturalium, quae vitam & sanitatem sustinent, vires, imo & medicamentorum proprietates, insensis morborum causis vel auertendis & praecoccupandis, vel tollendis idoneas. Cum vero nihil magis solenne sit, quam, quod in inveniendis veris rerum causis intellectus aberrer: eo quod plures saepe causae ad unum effectum concurrunt, & id pro causa saepius habetur, quod non est; tum vera & sana philosophia methodum suppeditat, qua si quis recte utitur, a vero aberrare minime poterit: quae in eo consistit, ut ex notis & indubiis dogmatibus, apto & firmo nexu, per perspicuas conclusiones ignota & abdita detegamus. Et haec est vera logica, quae etiam, & nulla alia in suis demonstrationibus utuntur Mathematici.

G

ci.

ci. Quemadmodum porro philosophus nullo movetur auctorita-
tum pondere, neque unius opinionibus se eorum mancipat, mul-
to minus ad irritas fictiones descendit; sed ratiocinandi libertate
utitur, & nil nisi quod definitum, clarum & intellectui perspi-
cax est, assumit; ita etiam Medicus hanc philosophandi optimam
methodum sequi debet, ne in errores in salutari arte periculosissi-
mos delabatur. Ego itaque certe in sinu gaudere soleo, quoribus
arti nostrae animum atque operam applicaturos, verae doctri-
nae analyticae & physicae praeceptis bene praeparatos & muni-
tos ad haec sacra accedere animadverto. Atque in eo, quod certe
sine affectu scribo, non satis & ingenium & institutum eorum,
qui ex Transylvania & Hungaria ad nos accedunt, laudare &
approbave possim: quippe quos sobriae philosophiae studium prae-
ceteris amare, & sibi ad discendum eligere, neque porro ullius
Doctoris dogmata spernere, sed omnes audire, & quod ipsis per-
spicuum, quod rationi congruum, quodque utile videtur, atten-
te seligere, magna cum animi oblectatione semper observavi. In
quorum censu TE quoque Clarissime Domine CANDIDATE ha-
bendum esse existimo; cum non mediocri sed politissimo ingenio,
& per varios labores pharmaceuticos ac chemicos, per varias quo-
que peregrinationes, nec non per variorum utilissimorum scripto-
rum lectionem, subacto iudicio ornatus ad nos accessisti, & ani-
mo praecudicis vacuo & purioris philosophiae & sanioris Medi-
cinae doctrinis intellectum perficere allaborasti. Et hinc quoque,
probitate morum pietateque comite, alacri & generosa industria
id consecutus es, ut non modo in examinibus omnibus & singulis
eruditissimis viris TUOS profectus comprobare, sed proprio et-
iam Marte dissertationem TVAM elaborare potueris: quam et-
iam, quin cum laude & omnium applausu sis defensurus, nulli
dubitamus. Supremum Numen porro adsistat benigna sua gra-
tia omnibus TVIS laboribus & conatibus, ut iisdem pluribus
prosis, & miseri aegrotantes summum leuamen & auxilium a
TVA laudatissima ope percipiant. Vale. Dab. Halae Magd.
Calendis Maii MDCCXXXIV.

Nobi.

Nobilissimo Doctissimoque Candidato
DN. IOHANNI WALLASKAY
S. P. E. O. D.
MARTINVS SCHMEIZEL

SAC. REGIAE MAJ. PRVSSICAE CONSILIARIVS AVLI-
CVS, VT ET IVRIS PVBLICI AC HISTOR. PROFESSOR
PVBL. ORDINARIVS IN REGIA FRIDERICIANA.

DUm abitum ex hac celeberrima musarum sede paras, sed
& cathedram prius conscendis, ut publico specimine de-
monstres, quas divitias in hoc sublimiorum studiorum em-
porio TIBI comparaveris, intermittere non potui, quin meam
quoque gratulationem, de confecto feliciter isto TVO curriculo
adjungerem, beneque precarer egregio specimini, quod a TE
elaboratum doctorum censura & examini proponis; cuius meae
destinationis non una fuit causa; praecipua vero, amor meus
in TE singularis & sincerus: Felicitatis namque boni in aca-
demia docentis pars utique maxima esse debet, si auditores ha-
beat bona indolis, probos, monitisque praeceptorum morem ge-
rentes; quorum concordia cum hoc nostro aevio admodum rara
sit, vel ex hoc capite mihi gratulor, TE in illorum meorum au-
ditorum numero nomen dedisse, quos ob diligentiam singula-
rem, modestiam laudabilem, mores conditos decentesque ama-
re imo diligere soleo. Nullus enim temere dies praeteriit, quo
non in horis nostris ante oculos TE habuerim, summaque animi
& corporis viribus arripientem ea, quibus proficere in doctri-
nis propositis & ad usum vitae communem accommodatis pote-
ras; proinde, dum egregie ea feceris, quae TVARVM fuere
partium, non est quod dubites, quin & praemia & fructus la-
borum, disponente sic divina bonitate, ex voto sis consecutu-
rus. Ego vero divinum Numen invoco, ut emensis tot loco-
rum intervallis, sospes ac salvus metam itinervis contingas, ac
tandem consiliis & arte multis cum successu prodesse queas;
Vale & doctrinarum nostrarum baud immemor vive. In Acad.
regia Fridericiana A. R. G. MDCCXXXIV. ipsis Kal. Maj.

Nobilissimo & Doctissimo
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

IO. HENR. SCHVLZE

D. & P. P.

Vitam hominum esse peregrinationem, iam diu visum fuit
viris sapientibus. Non est haec vita, cuius causa vivi-
mus, sed allaboramus ut aeternum cum Deo vivamus,
quando huius stadium rite decurrimus. Etiam illi, qui studiis
bonarum artium se tradunt, peregrinationem perpetuam susci-
pere mihi videntur. Quantum progredimur in scientia, quan-
tum pedem promovemus, incidimus in nova & nobis antea igno-
ta: nemoque ita domi est in quacunque disciplina, ut non sem-
per aliquid novi discat, quorum causa ab illis discedat, quae
prima ipsi in cognoscendo visa fuerant. Nae TV amplum dis-
ferendi campum in gressus es, qui morbos peregrinantium descri-
bere suscepisti: de omnium enim hominum morbis debebis dicere,
quum omnes peregrinemur. Vellem me id TIBI posse persuade-
re CANDIDATE nobilissime, ut non prius a nobis discederes,
quam satis de omnibus, omnium qui hoc sensu peregrinantur,
morbis exposuisses: ita enim futurum sperare possem, ut iucundis-
sima consuetudine diutius frui liceret, quam nunc intermittere
cogor, postquam TE fata ad novas peregrinationes a nobis avo-
cant. Non possum quin TIBI discedenti resser bis litteris, quan-
topere TE amem, quaque serio cupiam, ut TIBI ubique locorum
bene sit. Abi Deo comite, qui TE seruet incolumem, & omni
felicitatis genere, quam probitas & eruditio TV A mereatur, flo-
rentissimum ubique locorum reddat. Halae Magdeburg. pridie
Kal. Maii. M D C C XXXIV.

Dic

* * *

D*ic quid in orbe magis recreet, quam soluere
nauem*

*Et procul a patriis regna videre focis.
Lux ea, qua terras alio sub sole repostas
Visimus, imprimis dicitur esse bona.
Fortunata dies peregrinis obuia terris
Dura tuo nutu ponere fata licet.
Sit licet exosum vitæ genus atque molestum,
Et peregrinanti tædia mille paret,
Linquere sponte sua fratres dulcesque penates,
Charaque præcipue conjugis ora pie.
Præcipue si nos morbi contagio carpat,
Febris corpus edens impatiensque sui.
Aut quibus intumuit suffusa venter ab vnda,
Aut quos corripuit perniciofa lues;
Aut quæ diuersis artus descendit in omnes
Temporibus scabies, vnde molesta cutis.
Hæc si respicias, regionem credis iniquam
Quæ procul a laribus dicitur esse Patris.
Sed TIBI Teutonicis DOCTOR succurret ab
oris*

*WALLASKAY, sapiens iste Galenus erit.
Hic TE morborum casus & signa docebit;
Depositum qui TE recreet vnus erit.*

*Clarissimo nec non Doctissimo Dn. Can-
didato Doctoris gradum aspiranti,
gratulabundus adiecit*

SAMVEL DE DRAVTH,
Corona. Transilu.

G 3

Gratulor

Gratulor, o Chiron Clarissime, viribus herbæ
Dum gaudet, Medici numen, Apollo,
chori

Gaudet, quod nunquam tentaris inaniter artes,
Infirmis fias spesque salusque viris.

Namque potestates succorum noscīs & usum,
Androgeo raptos reddis & arte dies.

Huic nos membra damus soli tractanda Ma-
gistro:

Oblatæ semper cura valebit opis.

Nostra licet tumidi prope rumpant ilia flatus,
Seu Veneris tacitus pectora cancer edat.

Patria, nunc prostat morborum publica cura
Postque tot Hippocrates ultimus, euge,
venit.

Ita gratulatur tuus

A. SOTERIVS.

Sic venerandus adest splendor, qui gaudia
suadet!

En doctum tellus sic peregrina colit!

Vade per innumeras gentes, sic vade per arua

Extera, quisque lubens TE celebrare cupit.

Rura stupent Patriae, mirantur & omine fausto

Quæ peregrina TIBI iura Minerva parat.

Ergo Coronato plausus affundere fas est,

Funde libens mecum gaudia, quisquis ades.

*Hæc Dn. Candidato Doctorando Amico suavissimo
memoriae ergo adiicere debuit*

MICHAEL ERHARDVS HANER,

Transylv. Medic. & Phil. Cult.

In Zoi-

In Zoilum.

Siccine non omnes licuit describere morbos,
Ferre peregrinans quos solet, atque pati?
Pertinet ad tales etiam, me iudice, naeuos,
Quem mordax turpi Zoilus ore gerit.
Hic pede nam varios peragrans currente libellos,
Difficili premitur conficiturque malo.
Scilicet, insanus corrupta mente laborat,
Aggreditur laudes dente furente TVAS.
Quem si TV sanae velis bene reddere menti,
Instructus multo sis, decet, helleboro.

Ita in TVARVM, CHARISSIME WAL-
LASKAK, obrectatorem laudum scripsit Halae
TVVS

PAVLLVS HAYNOCZIVS,
Pannonius.

SI TVAS laudes querulis Camoenis
Vis revelatas CELEBRANDE DOCTOR,
En amicorum gracili corona
Ultimus adsto.

Ultimus raucis repeto loquelis
Quæ diu fratrum cecinit decora
Turba, dum doctas peteres peritus
Palladis arces.

DOCTE, non frustra peregrina Phoebi
Castra jucundis gradibus pererras
Jam TIBI celsas Heliconis arces
Cernis apertas.

Porta

*Porta Musarum reſerata per TE
Eruditorum lapidem latentem
Sedulo tandem Studio paraſti*

Non ſine laude.

*Hinc Tuæ fronti merito paramus
Infulam ſacram viridesque lauros,
Nate Muſarum ſobolesque Phoebæ*

Proxima ſalve.

*Ita Clariffimo Domino Doctore
gratulabatur*

JOANNES BRUCKNER, C. T.

Sanctor. Litterar. Cultor.





DISSERTATIO IN
MO
PEREGR

AVSPICE
PR
DN. FRIDERI
ACADEMIAE AC C
PRO GRA
SVMMISQVE IN MEDICI
LEGIT
D. MA
PVBLICO ET PLACIDO

IOANNES
NEOGRAD-

HALAE
EX OFFIC



4
M.
NNO
RE
LEGIIS
CIT
Y,

